

Das Weihnachts-Evangelium

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM (1,1-20)

Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima, facta est a praeside Syriae Cyrino: et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem.

Ascendit autem Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam in civitatem David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.

Factum est autem, cum esset ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio: quia non erat eis locus in diversorio.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimo Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in caelum: pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque ad Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Ioseph, et infantem positum in praesepio.

Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: et de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos; Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes, et laudantes Deum in omnibus, quae audierant, et viderant sicut dictum est ad illos.

Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo prius quam in utero conciperetur.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHAEVM (2,1ff.)

Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.

Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudae: Sic enim

scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem in terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat meum populum Israel.